



dullæ cerebri certa ratione motæ, cui nempe unitur, & in qua residet, diversas, easq; convenientes ideas rerum objectarum repræsentativas efformat. Hæc de cognitione, ac intellectione.

Sensatio namq; eo ordine, ea procedit symetria. Imo. Fit motus in organis sensorijs, aut menbris ex adpulsu rerum sensibilium. Hunc motum sensationem inchoatam, atque passivam nuncupamus. 2do. Hic motus in organis sensorijs, & menbris excitatus postea ope spirituum animalium in nervis, qui a cerebro ad extremas usque corporis partes protenduntur, contentorum usque ad medullam cerebri defertur, ac propagatur, ubi principium spirituale, seu anima residens ad motus productos adtendit, eosque percipit, quam adtentionem, ac perceptionem sensationem activam, & completam adpellamus.

§. LXXIX.

Anima vero agit in corpus, illud movet, ac regit per sua decreta, imperia, ac volitiones efficaces: si enim anima corpori unita efficaciter vult, imperat, ac decernit, ut hæc vel illa corporis menbra moveantur, mox se movebunt, & animæ imperium executioni mandabunt. Hinc ejusmodi motus actus imperati vocantur.

Quod autem anima per suum decretum, ac imperium in corpus agere possit, exinde patet. Deus supremus naturæ autor omnia ex nihilo per solum suum decretum efficax produxit: imperavit enimvero, ac tantummodo dixit: fiat! & facta sunt omnia. Ergo etiam animæ potest tribuere virtutem in corpus proprium agendi, illudq; movendi, ac regendi per solum decretum, ac imperium. Imo eam virtutem Deum animæ jam tradidisse opinamur.

§. LXXX.